

tinus: « Fides est qua creduntur quæ non videntur. »

Circa hanc distinctionem, primis inquit D. Thomas, an aliquid, quod veram rationem culpæ habeat possit per generationem derivari, de quo 1-2 quæst. LXXXI, artic. 1. Secundo, an originale peccatum sit concupiscentia, an sit aliquid privativum pro formali vel positivum, de qua ibidem quæst. LXXXII. Tertio, inquit an alimentum vere transeat in naturam corporis nostri et an ex eo decedat semen, de quo agit 1 p. q. CXIX.

#### DISTINCTIO XXVIII.

In hac distinctione, duos errores excludit Magister, alterum Pelagii circa gratiam, alterum Manichæi circa liberum arbitrium. Et facit tria. Primo, proponit errorem Pelagii. Secundo, solvit fundamenta ipsius. Tertio, errorem Manichæi excludit.

Circa primum, explicat errorem Pelagii ex verbis Augustini, 1 retractat. Nam primum, Pelagius omnem gratiam negavit dicens necessariam non esse ad implenda divini mandata. Deinde, quasi modificans hanc sententiam addidit gratiam esse necessariam non ad simpliciter sed ad facilius implendum mandata. Tertio, addidit dari quidem aliquam gratiam sine qua nihil boni possumus, sed illam non esse aliud quam ipsum liberum arbitrium beneficio creationis acceptum, et legem atque scientiam, seu doctrinam, spiritum vero seu charitatem intus diffusam negavit esse donum Dei. Quarto, tollebat orationes quas facit Ecclesia ad convertendum peccatores, et infideles sed a seipsis id nos habere. Quinto, negabat peccatum originale.

Circa secundum, refert tria præ-

cipua fundamenta quibus Pelagius contra Augustinum innitebatur. Primo, quia si non potest homo facere quæ jubentur sine gratia, non est ergo ei imputandum si non fecerit non data gratia, quis enim peccat in eo, quod nullatenus caveri potest. Respondetur voluntatem simpliciter posse peccare, et recte vivere, sed bonum non nisi per gratiam posse, sufficit autem posse per gratiam ut absolute possit, de se enim gratia non de est. Secundo, quia ut Augustinus dicit reum peccati tenere aliquem, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, cur ergo parvuli, et qui non habent gratiam, rei peccati tenentur? Respondetur Augustinum id dixisse de illis naturis malis quas Manichæi ponebant, qui nullum poterant facere bonum, qui autem possunt per gratiam, absolute possunt; et parvuli in primo parente potuerunt. Tertio, arguebat Pelagius ex verbis Augustini qui dicit non posse aliquem operari bonum nisi mutaverit voluntatem, quod in nostra potestate est juxta illud: *Aut facite arborem bonam, etc.* Respondetur id quidem esse in nostra potestate sed omnis potestas a Deo est, et a gratia pendet sicut voluntas est in nostra potestate sed præparatur voluntas a Domino. Et eodem modo intelligitur quod dicit Augustinus in nostra potestate esse vel inseri Dei bonitate, vel excidi, et quod alibi dicit: « Quod credimus nostrum est, quod autem operamur illius est qui dat Spiritum Sanctum. » Hæc enim intelliguntur esse in nostra potestate supposita gratia qua præparatur voluntas, nam fides etiam donum Dei est, et non solum bona opera. Quod vero dicit Augustinus quod posse habere fidem naturæ est hominum, credere vero gratiæ est fidelium, loquitur de capacitate, et aptitudine naturæ rationalis quæ non est in insensibilibus.

Circa tertium, docet ex Hieronymo contra Jovinianum qui dicebat hominem peccare non posse, et Manichæum qui dicebat non posse vitare peccatum, fatendum esse liberum arbitrium, quod tamen indiget Dei adjutorio.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, utrum possit homo aliquid bonum morale facere sine gratia. Secundo, utrum possit vitare peccatum sine gratia, et mandata legis implere, tum in statu naturæ lapsæ, tum integræ. Tertio, utrum possit se ad gratiam præparare sine gratia. Quarto, utrum possit verum scire sine gratia, de quibus omnibus agit 1-2 q. CIX.

#### DISTINCTIO XXIX.

Agit de gratia status innocentiae. Et dividitur in duas partes. In primo inquit, an gratiam, et virtutes habuerit Adam in primo statu. Secundo, quas pœnas incurrerit ex amissione gratiæ, contrariorum enim eadem est ratio.

Circa primum, respondetur egressisse Adam gratia operante, et cooperante etiam pro illo statu, licet gratia operans tunc non sanaret, seu liberaret voluntatem sed præpararet tantum ad bonum, ut enim dicit Augustinus in enchiridio, justitiæ retinendæ, vel habendæ non sufficiebat liberum arbitrium nisi divinum præberetur adjutorium. Habuit etiam virtutes ut charitatem, fidem, temperantiam, et alias quæ gratiam comitantur, et per peccatum sunt perditæ, ut ex Augustino et Ambrosio probat.

Circa secundum, proponit duas pœnas quas incurrit Adam, et dubitationem quamdam solvit. Prima pœna fuit ejectio de paradiso ne comederet de ligno vitæ, quo datur intelligi ipsum post peccatum non

moriturum si comederet de illo. Sed quia habeat mortuum corpus, videntur illa verba sic intelligi ut dicatur homo indignus comedere de ligno vitæ de quo si perstisset comedere viveret in æternum. Secunda pœna est gladius flammeus Cherubim ante paradysum, quod in paradiso terrestri intelligitur ignea quædam custodia per ministerium cœlestium potestatum exhibita. Respectu vero paradisi cœlestis designatur quod per plenitudinem scientiæ quæ est charitas, et temporalium passionum tolerantiam ingreditur in cœlum. Dubitatio est, an comederit Adam ante peccatum de ligno vitæ. Respondetur videri affirmandum quia præceptum est ut de omnibus comederet excepto ligno scientiæ boni et mali. Non est autem factus immortalis, quia id non conferebat ille fructus nisi sæpius gustaretur.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an homo indigerit gratia in statu innocentiae eamque habuerit, de quo 1 p. q. XCV art. 1-2 q. CIX. Secundo, an tunc fuerit major gratia, et efficacior ad merendum, quam nunc. Tertio, de pœna expulsionis e paradiso, et de flammeo gladio, de quo 2-2 q. CLXVI art. 1.

#### DISTINCTIO XXX.

Explicato lapsu primi parentis, et gratia per illum amissa, incipit nunc inquirere de peccatis inde ad nos derivatis. Nam quoddam peccatum derivatur ipsa propagatione quod est peccatum originale, aliud ac imitationem quod est peccatum actuale. De primo agit usque ad distinctionem XLIV. De peccato ergo originali agit per quatuor distinctiones hoc ordine. In xxx inquit quid sit peccatum originale.

In xxxi de ejus principio, quomodo derivetur. In xxxii de ejus termino, quomodo scilicet tollatur. In xxxiii. de ejus unitate vel pluralitate.

Igitur in præsentī distinctione tria facit. Primo, excludit errorem Pelagianorum circa peccatum originale. Secundo, relatis diversis sentiis de quidditate peccati originalis, suam statuit. Tertio, explicat quomodo intelligendum sit, quod omnes homines fuerunt in Adam.

Circa primum, aliqui non distinxerunt peccatum originale ab actuali quod fuit in Adam, dixerunt enim Pelagiani peccatum primi parentis in posteris transisse non propagatione, sed imitatione, quatenus nos peccando imitamur illum, et ideo negabant illud inveniri in parvulis. Sed si hoc ita esset, non ab Adam, sed a diabolo peccatum derivaretur, quia ut dicitur Sapientia II: *Invidia diaboli mors intravit in orbem*, imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius, ergo si respectu Adam non habent posteri nisi imitationem, idem habent respectu diaboli: aliud ergo ponendum est peccatum quod origine transit in omnes per vitiatam carnem Adæ.

Circa secundum, aliqui dixerunt originale peccatum non esse aliquam culpam in nobis existentem, nec solam pœnam, sed reatum seu debitum ad pœnam, quod per culpam existentem in Adam comprehendit omnes qui ab eo sunt etiam parvulos. Sed quod originale peccatum sit culpa evidenter docetur ab Augustino multis in locis, et a D. Gregorio et aliis qui docent culpam seu peccatum originale nos trahere ex Adam, nec possent parvuli juste puniri, et habere reatum si non haberent culpam. Docet ergo peccatum originale non esse aliquem actum, seu motum animæ, sic enim esset actuale peccatum sed esse fo-

mitem ipsum, seu languorem naturæ, et concupiscentiam vitiosam. Et nomine concupiscendi, vitium quod parvulum facit habilem concupiscere, et adultum reddit concupiscentem. Et sic vitium concupiscentiæ, peccatum originale est. Et sic Augustinus in libro de baptismo parvulorum dicit, quod Adam occulta tabe concupiscentiæ suæ carnalis tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos, et ideo dicuntur omnes in illo peccasse, quia omnes illi unus homo erant, id est, materialiter in eo erant. Cum ergo Apostolus dicit per inobedientiam unius, peccatores esse constitutos multos, cum ante dixisset per unum hominem peccatum intrasse, quod utique est peccatum originale, sensus est quod ex actuali peccato inobedienciæ peccatores multi sunt constituti originali peccato. Unde Augustinus Juliano quærenti per quas rimas ingressum sit hoc peccatum cum nec peccaverit parvulus, nec ejus pater, respondet non esse quærendam rimam ubi est tam magna porta: *Per unum hominem peccatum intravit, etc.* Nec ex ejus natura mala, sed ex voluntate mala primi hominis peccatum est.

Circa tertium, aliqui difficile putant quomodo dicantur omnes homines fuisse in Adam cum omnis caro hominum in eo non fuerit, quæ postea tanta quantitate crescit. Respondetur fuisse omnes ibi causaliter, et materialiter non formaliter. Ex substantia enim corporis Adam aliquid segregatum est pro formatione filii sui, et illud augmentatur sine adjectione rei extrinsecæ, indeque etiam separatur aliquid pro altero filio, et de illo pro alio continua successione. Putat enim Magister quod in augmentatione hominis alimenta non transeunt in varietatem corporis, sed in pabulum caloris, corpus autem sine adjectione

crescit, sicut infans in resurrectione accipiet corpus viri, et sicut costa in mulierem, et panes in evangelio multiplicati sunt, omne enim quod intrat in os in secessum emittitur, ut dicitur in evangelio.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an aliquid quod veram rationem culpæ habeat possit per generationem derivari, de quo 1-2 q. lxxxii. Secundo, an originale peccatum sit concupiscentia; an sit aliquid privativum, pro formali vel positivum, de quo ibidem q. lxxxii. Tertio, inquit an alimentum vere transeat in naturam corporis nostri et an ex eo decidatur semen, de quo agit i p. q. cxix.

## DISTINCTIO XXXI.

Agit in hac distinctione Magister de modo quo traducitur peccatum originale. Et circa hoc tria facit. Primo, excludit errorem quemdam. Secundo, veritatem ipsam explicat. Tertio, objectionem quamdam solvit.

Circa primum, fuit quorundam sententia, quod non solum corpus, sed etiam anima derivatur, et traducitur a parente, ideoque de peccatrice anima transfunditur anima cum peccato in successores. Cæterum hoc damnatur ab Ecclesia, quæ tenet animas creari a Deo, non traduci ex anima parentis, quod ex Augustino ibi probat.

Circa secundum, explicat quomodo peccatum originale possit traduci a parentibus, quia videlicet caro libidinosè seminatur, et ita contrahit in se vitium concupiscentiæ, anima vero per conjunctionem ad tale corpus sic seminatam contrahit peccatum, seu vitium libidinosæ concupiscentiæ, et potentia ipsa animæ sic vitiat, quia etsi ex anima dimanet, non nisi tamen in carne recipitur. Et sic dicitur peccatum ori-

ginale manere in carne, non quia in illa sit culpa, vel actus culpæ, sed ejus causa. Et sic docent Ambrosius et Augustinus animam ex carne trahere peccatum, quia in carne est causa peccati. Quid autem sit illud, quod in carne est causa peccati, culpa aliqua, an effectus culpæ, seu pœna aliqua ut mortalitas, passibilitas, vel quivis alius defectus. Respondetur esse fœditatem, seu vitium quoddam carnis ex ipso fervore, et libidine parentum contractum, quod ab effectu dignoscitur, quia tali carne maculatur anima, sicut ex vase liquor. Quo modo autem baptizati parentes hoc peccatum traducant quo in se carent? Respondetur bene posse parentem generare in filio aliquid quo caret, sicut carens præputio generat filium cum illo, et ex mundato tritico generatur granum cum palea: generant enim homines secundum carnalem virtutem, quam habent ex Adam, non secundum spiritualem gratiam, quam habent a Christo. Quare non ex eo, quod caro nostra sit ex carne Adam desumpta, sed quia tali modo, id est, per libidinem traducitur, anima maculatur, nec enim propagatio facit peccatum, sed libido, unde Christus carnem traxit ab Adam non peccatum, quia non lege libidinis est conceptus.

Circa tertium, solvit talem objectionem. In ipso conceptu libidinoso non infunditur anima, sed efformato corpore multo tempore post, quomodo ergo anima ex libidine dicitur maculari parentum. Respondetur in illa libidinoso carnis transmissione nondum esse originale peccatum, sed ex illa trahere carnem id quo vitiat animam quando ei infunditur, ibi enim virtute manet libido.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an peccatum originale per originem possit trans-

mitti, et utrum in omnes transeat de quo 1-2 quæst. LXXXI artic. I et III. Secundo, inquiri an peccatum originale sit in essentia animæ, an in potentiis, et an generativa sit magis infecta, de quo ibidem quæst. LXXXII et LXXXIII.

## DISTINCTIO XXXII.

Agit de peccato originali quantum ad modum quo tollitur, sicut in præcedenti distinctione egerat de eo quantum ad modum quo traducitur. Et facit duo. Primo, proposita ratione dubitandi inquiri, quomodo per baptismum remittatur peccatum originale. Secundo, quasdam quæstiunculas movet circa concupiscentiam ipsam, quæ remanet post baptismum, et conditiones quasdam ipsius peccati originalis.

Circa primum, ratio dubitandi circa ablationem peccati originalis est, quia dictum est supra peccatum originale esse concupiscentiam, constat autem hanc remanere post baptismum, ergo non tollitur peccatum originale per baptismum. Respondetur ex Augustino quod licet concupiscentia maneat post baptismum, non tamen dominatur, et regnat sicut ante, nec manet quoad reatum, sed quoad pœnam. Unde juxta eundem Augustinum dupliciter originale peccatum dicitur dimitti in baptismo. Primo, quia solvitur reatus licet maneat concupiscentia in carne respersa. Secundo, quia mitigatur ipsa concupiscentia, tamquam hostis superatus, et victus, et sic nisi ei per consensum vires addantur, et reviviscat, non imputatur peccatum, licet maneat in agonem. Transit ergo concupiscentia reatu, sed manet actu, peccata vero actualia transeunt actu, et manent reatu. An vero in baptismo caro ipsa emundetur ab illa fœditate, seu vitio quo

tamquam causa maculatur anima? Respondetur aliquos id affirmare, alios negare, quia rursus in procreatione filiorum caro ipsa cum illa fœditate seminatur. Nec tamen necesse est, quod ex actuali fervore concupiscentiæ magis corrumpatur caro, quia tota illa corruptio ex primo peccato Adam tracta est, non ex particularis hujus personæ cupiditate.

Circa secundum, inquiri primo, utrum concupiscentia prout in pœnam manet post baptismum, sit a Deo. Respondetur in ratione pœnæ Deum habere auctorem sicut in ratione culpæ diabolus. Secundo, quærit qua justitia anima a Deo creato illo peccato teneatur, quod evitare non potest. Respondetur aliquos dicere animam contrahere peccatum cum infunditur, quia condelectatur carni. Quod si esset non originale peccatum esset, sed actuale. Unde dicitur, quod anima ex corruptione, ut a primo peccato Adæ derivata, quod potuit evitari ab ipso, et consequenter illa corruptio quæ ex peccato voluntario Adæ est, culpam communicat filio voluntate Adam evitabilem. Tertio, quæritur an peccatum originale sit voluntarium, an necessarium. Respondetur dici voluntarium voluntate Adam a quo contrahitur, licet supposita generatione necessarium. Quarto, quæritur cur Deus animam conjungit corpori ex quo scit ipsam maculandam. Respondetur non fieri hoc injuste a Deo, qui naturalem cursum procreandorum hominum a se institutum non debet intermittere, licet hominis culpa sit vitiatus. Quinto, quærit an talis sit anima aliquando qualis a Deo creatur, non enim aliquando est innocens sicut a Deo creatur, cum ipsa infusione maculetur. Respondetur bonitatem habere animam ex creatore, alioquin si bonitatem non haberet, vi-

tiabilis non esset, vitium tamen habere ex carne. Denique, quærit an omnes animæ sint æquales ex creatione. Et respondetur non videri absurdum, quod inæquales sint in donis naturalibus, licet æqualem pœnam ex peccato originali sortiantur, quia ingenii inæqualitas non concludit illud peccatum.

Circa hanc distinctionem, primo inquiri D. Thomas, an per baptismum tollatur peccatum originale, et quomodo fomes remaneat, de quo III p. qu. LXIX, artic. I et II. Secundo, inquiri an fomes sit major in uno quam in alio, de quo 1-2 q. LXXXII, artic. IV. Tertio, an peccatum originale sit a Deo, et an deceat ipsum sic infundere animam corpori a quo maculetur, de quo agit in præsententi.

## DISTINCTIO XXXIII.

Agit de unitate, vel pluritate peccati originalis. Et dividitur in tres partes. In prima ponit opinionem asserentem esse plura peccata, et refutat illam. In secunda inquiri an peccatum Adæ fuerit cæteris gravius. In tertia quomodo peccata parentum redundent in filios.

Circa primum, aliqui dixerunt plura peccata ex parentibus transmitti in filios, sed non omnia, sed in tertiam, vel quartam generationem ut Scriptura insinuat, ne scilicet importabilis esset sarcina peccatorum ut Augustinus dicit in enchir. tum etiam, quia David dicitur conceptus in iniquitatibus, et parvulos baptizari in remissionem peccatorum, plura ergo peccata habent. In illo etiam peccato Adæ plura peccata concurrerunt ut superbia, inobedientia, intemperantia, etc. Augustinus affirmat. Cæterum, quod attinet ad peccata aliorum parentum utrum transmittantur ea in pos-

teros Augustinus non affirmando, sed disputando tractat, dum inquit, quod temere affirmare non audeat. Ex alia vero parte magis Augustini mens innotescit, quia in eodem libro affirmat mitissimam pœnam futuram his qui cum solo originali decedunt. Si autem a parentibus contraherent peccata eorum, vel etiam alia actualia primi parentis, aliqui acerbiorem pœnam, quam alii sustinerent, nec levissima esset omnium parvulorum. Quare sicut pœna est una, scilicet sola carentia divinæ visionis et peccatum unum est. Quod vero plurali numero aliquando significetur in Scriptura non obstat, sumitur enim aliquando plurale pro singulari, et e contra, ut cum dicitur in Exodo: *Fecerunt deos aureos* cum unum solum vitulum fecerint. Et cum dicitur: *Mortui sunt, qui quærebant animam pueri*, cum solus Herodes quæsierit.

Circa secundum, aliqui putant peccatum Adæ gravius cæteris fuisse, quia gravius intulit nocumentum cum totum genus humanum corruperit, et quia majori facilitate poterat custodiri, majori iniquitate violatum est, ut ait Augustinus. Sed respondetur non fuisse gravius intensive, sed solum extensive, quia erat peccatum capitis, ideoque in totam naturam humanam se diffudit, sed non majorem gehennam meruit, quam alia peccata, quæ sunt in Spiritum Sanctum, et similia. An vero fuerit remissum Adæ hoc peccatum? Respondetur fuisse remissum, ut docet Augustinus, in libro de baptismo parvulorum.

Circa tertium, contradictio videtur in Scriptura, quia in Exodo dicitur, quod visitat peccata parentum in tertiam, et quartam generationem: in Ezechiele vero quod anima, quæ peccaverit ipsa morietur, et filius non portabit iniquitatem patris. Respondent Hieronymus et Augusti-

nus dici in Exodo, quod visitantur peccata parentum in tertiam, et quartam generationem absolute, sed his qui oderunt me, id est, quando filii imitantur, et continuant peccata parentum. Cur autem in quartam generationem, et non ultra, cum etiam ultra possint imitari parentum peccata? Respondetur idcirco quartam generationem commemorari, quia parentes solent vivere usque ad talem generationem, et eis exempla præbere peccandi. Hæc est expositio ad litteram: mystice vero intelligitur quarta generatio progressio in peccatum a primo motu cogitationis ad consensum, a consensu ad executionem, ab illa ad consuetudinem si gloriatur quis in peccato, omnia ista punit Deus.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an peccata parentis, vel eorum poena transeat in filios, de quo 1-2 q. LXXXI, art. II. Secundo, an peccatum originale sit unum tantum, de quo 1-2 quæst. LXX, XII. art. II. Tertio, de poena peccati originalis, an futura sit sensibilis; an afflictiva spiritualiter, de quo hic, et q. IV de malo, art. II.

## DISTINCTIO XXXIV.

Explicato peccato originali quod propagatione trahitur ab Adam, incipit inquirere de peccato actuali, quod imitatione ab ipso est, usque ad distinctionem XLIV. Procedit autem tali ordine, quod primo agit de ipso actu peccati, deinde de potentia ad peccatum, in distinctione XLIV. De ipso peccato actuali agit hoc ordine. Primo, in hac distinctione præsentis agit de formali ejus ratione, quæ est ratio mali, deinde de materiali quæ est ipse actus per tres distinctiones. A distinctione autem XXXVIII incipit agere de divisione peccati actualis, seu actus pec-

cati, primo quidem de actu interiori qui in voluntate consistit per duas distinctiones XXXVIII et XXX, deinde de actu exteriori, per alias duas distinctiones XL et XLI. Et tandem de diversis speciebus peccatorum per alias duas XLII et XLIII.

In præsentis ergo distinctione agit de ratione mali, et facit tria. Primo, explicat originem mali. Secundo, subjectum. Tertio, quædam corollaria infert.

Circa primum, docet ex Augustino originem mali non esse aliquod malum, sed aliquod bonum, deficient tamen, et non ita perfectum sicut summum bonum. Nam si aliquod malum esset, illud malum debuit originem aliquam habere, et non ex alio malo, qui ante non fuit, alias de illius origine inquiremus, ergo ex aliquo bono, scilicet ex aliqua voluntate, vel Angeli, vel hominis deficiente tamen, et mutabili.

Circa secundum, docet quod subjectum mali etiam debet esse aliquod bonum, nam malum, seu peccatum est privatio boni, ubi autem bonum non est; non est privatio, seu corruptio boni; necesse est autem ut aliquid remaneat de natura, si privatio alicujus boni, quæ ei nocet, in illa datur, si autem consumeretur omne bonum quod est in natura, consumeretur natura ipsa. Oportet ergo quod peccatum si est privatio in aliquo subjecto, seu natura existens, sit in aliquo bono. Unde infert Augustinus quod qui dicunt vitiosam naturam esse malam naturam, bonum dicunt malum.

Circa tertium, quod quando dicitur homo malus, idem est, ac dicere bonum malum, quia scilicet in quantum homo bonus est, in quantum iniquus, malus, et omnis natura ut natura bonum est, ut vitiosa mala. Colligitur secundo, quod illa regula dialecticorum quod nulli rei

duo contraria inesse possunt, hic fallit, quia bonum et malum contraria sunt, sed tamen malum sine bono esse non potest; sed tamen hæc non sunt circa idem, bonum enim privatum malo non est cum malo, sed bonum quod est subjectum. Colligitur tertio, quod quando dicitur in Isaia: *Væ eis qui dicunt bonum malum, et malum bonum*, intelligendum est de ipsis rebus, seu operationibus, ut qui diceret adulterium esse bonum, non de hominibus, qui natura sunt boni, et in culpa mali.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, in quo consistat ratio mali. Secundo, an bonum sit causa mali, an bonum sit subjectum mali; an malum corrumpat totum bonum, de quibus agit 1 p. q. XLVIII.

## DISTINCTIO XXXV.

Explicata ratione mali, quæ est quasi formale in peccato, inquit Magister de actu peccati, quod pertinet ad materiale, et primo in hac distinctione agit de ipso actu peccati secundum se, in sequenti quomodo peccatum sit simul culpa, et poena, in distinctione vero XXXVII, quomodo sit, vel non sit a Deo.

Igitur in præsentis distinctione tria facit. Primo, propositis definitionibus peccati, varias opiniones refert circa quidditatem peccati. Secundo, sententiam tenendam statuit. Tertio, difficultates quasdam, seu quæstiones resolvit.

Circa primum, adducit tres definitiones peccati. Primo, ex Augustino peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam. Secundo, ex eodem, peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat. Tertio, ex Ambrosio peccatum est prævari-

catio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum. Dubitatur occasione harum definitionum, in quo constat peccatum. Alii enim dicunt in voluntate, et non in actibus externis: alii in utrisque. Alii in nullo, sed omnes actus esse bonos, et a Deo, malum autem nihil esse, ut dicit Augustinus super illud Joannis: *Omnia per ipsum facta sunt*. Quod aliis etiam locis docet Augustinus dum ait malum esse privationem boni, non esse a Deo, peccatum esse errare in præceptis Dei, etc.

Circa secundum, sententia, quam Magister explicat, est quod peccatum est actus malus, sive interior, sive exterior, præcipue tamen in voluntate consistit, omne enim peccatum debet esse voluntarium, et ex voluntate procedere. Sed in isto actu distinguendum est id quod est actus, et id quod inordinationis est, et malitiæ, et in quantum actus bonum est, et a Deo in quantum inordinatus, est peccatum. Quod dupliciter aliqui probant ex Augustino tum quia omne, quod est in quantum est, bonum est, et omnium quæ sunt, Deus auctor est, voluntas ergo et actus in quantum est, bonum est, sed ex vitio fiunt mala; tum quia nulla res est mala, nisi eadem sit bona, ne sit purum malum, debet enim esse aliqua natura, et omnis natura bona est.

Circa tertium, solvit aliquas difficultates. Prima est, quia si peccatum ut actus est, bonum est, et natura, ergo adulterium homicidium, etc. bona sunt et a Deo: similiter etiam non credere, non ire ad ecclesiam peccata non sunt, quia naturæ non sunt. Respondetur quod adulterium, homicidium, etc. non denotant actus, sed actuum vitia, et ideo simpliciter a Deo non sunt, sed entitates talium actuum a Deo sunt. Non ire autem ad ecclesiam, et similes negationes non sunt naturæ, nec ut

negationes peccata sunt, sed ut subintelligitur illis aliquis actus, seu aliquid voluntarium, puta contemptus eundi, actus incredulitatis, etc. Secunda difficultas, quia peccatum ut supra dictum est, est corruptio boni, ergo vel hoc habet in quantum peccatum vel non. Si habet, ergo in quantum peccatum est pœna, quia corruptio, vel privatio boni pœna est homini, et omnis pœna est a Deo ergo ut peccatum, est a Deo; si non habet, ergo in quantum peccatum non est malum, quia omne malum corruptio est boni. Sed respondetur, quod actus malus, nec in quantum actus, nec in quantum bonum est privatio, sed ut peccatum, nec in quantum peccatum est pœna, vel ex Deo, quia non est privatio patiendi, sed nocendo quasi active, et voluntarie. Et peccatum cum in quantum peccatum sit nihil, tamen quia privat bono dicitur corrumpere, et adimere illud quasi formaliter. Bona autem quibus privat sunt dona gratuita, et virtutes, vulnerat etiam dona naturalia rationem et voluntatem, elongat a Deo, non locali distantia, sed dissimilitudine morum. An vero pœna etiam sit privatio boni? Respondetur esse privationem per modum passionis, et effectus non voluntarii, peccatum vero per modum efficientiæ, seu voluntatis.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an bene dividatur malum in malum culpæ, et malum pœnæ, de quo 1 par. qu. XLVIII, artic. v. Secundo, in quo consistat formale peccati, de quo 1-2 quæst. LXXI, artic. VI. Tertio, an in omni peccato sit aliquis actus, de quo ibi artic. IV. Quarto, quomodo in actu existit teriori malitia, de quo 1-2 qu. XX, artic. I. Quinto, an potentia animæ sint vulneratæ per peccatum, de quo 1-2 q. LXXXV.

## DISTINCTIO XXXVI.

Occasione eorum quæ in calce distinctionis præcedentis dicta sunt, inquit Magister an peccatum possit simul esse pœna, et unum peccatum causa alterius. Et circa hoc tria facit. Primo, quæstionem proponit et disputat. Secundo, determinat. Tertio, contrarietatem quamdam inter Hieronymum, et Augustinum conciliat.

Circa primum, supponit ex Augustino quædam peccata esse simul pœnas aliorum peccatorum, id est, illa peccata quæ sunt inter primum peccatum, et ultimum supplicium, ut ex Augustino et Gregorio, atque auctoritatibus Scripturæ probat, ut est illud Pauli: *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominia, et Apoc. Qui in sordibus est sordescat adhuc*. Quo supposito est quæstio, an in quantum peccatum sit pœna peccati, videtur enim quod si in quantum peccatum sit pœna, cum omnis pœna pro peccato justa sit, peccatum quod est pœna justum erit, et ex Deo. Respondent aliqui pro tanto peccatum aliquod dici pœnam, quia per peccatum aliquod vulnus in anima relinquitur, et aliquod bonum corrumpitur, et ipsa diminutio pœna seu passio est, peccatum vero est id quo fit illa diminutio, et sic causaliter dicitur pœna, non essentialiter, et id quod pœnæ est ex Deo est, quod vero culpæ, non est ex Deo, quod ex Augustino in lib. de prædestinatione sanctorum confirmant. Objicit autem contra hoc. Primo, quia sic omne peccatum mortale etiam primum esset pœna peccati, quia est causa vulnerum, et diminutionis naturæ, cum tamen peccatum non sit pœna nisi respectu alicujus peccati præcedentis, quod per sequens punitur, sicut nec est causa peccati

nisi subsequentis. Secundo objicit quia dicit Augustinus, crimina criminibus vindicari, quo significat peccata essentialiter esse punitiones peccati. Quæ tamen prædicti auctores solum explicant in sensu ante dicto, quod peccatum est pœna causaliter, non formaliter.

Circa secundum, docet non esse contra veritatem, quod aliquod peccatum essentialiter, seu formaliter sit pœna peccati, nec tamen in quantum peccatum a Deo sit, nec in quantum peccatum pœna sit. Probat hoc, tum ex auctoritate Augustini ostendentis, quod cum caro concupiscit adversus spiritum, peccatum aliquod est, et tamen est pœna ex primi hominis peccato proveniens, nec enim hoc ad naturam ipsam pertinet, sed ad vitium, et hæc pœna, ut ordinata, et juste imposita a Deo est: tum quia quædam peccata in se ipsis pœnalia sunt, et cum passione, ut invidia, quæ est dolor de bono alieno, ira et cupiditas cum perturbatione sunt, et similiter timor, omnis autem perturbatio quam patimur pœna est.

Circa tertium, contraponit verba quædam Hieronymi et Augustini, nam Augustinus supra citatus dixerat quædam necessitate facta esse improbanda, ut quod caro concupiscat adversus spiritum; Hieronymus autem dicit illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse. Respondetur Augustinum loqui de tota collectione venialium, quæ in hoc statu miseriæ vitari non potest: Hieronymum de mortalibus, vel de singulis peccatis, quæ sigillatim vitari possunt, aut de homine in statu ante peccatum. Denique, epilogat dicta, et dividit bonos actus, quod quidam solum entitative sunt boni, quidam ex genere, seu objecto, quidam ex circumstantiis.

Circa hanc distinctionem, primo

inquit D. Thomas, utrum unum peccatum sit causa alterius, de quo 1-2 quæst. LXXV, art. IV. Secundo, utrum unum peccatum sit pœna alterius, et quomodo, de quo 1-2 quæst. LXXXVII, art. II. Tertio, utrum omnis pœna infligatur pro culpa. Quarto, utrum divisio actus boni ex entitate ex genere, et circumstantiis sit bona, ubi potest tractari in quo consistat bonitas moralis actus, et an detur actus indifferens, de quo 1-2 q. XVIII.

## DISTINCTIO XXXVII.

Quia Magister in præcedenti distinctione exposuerat sententiam eorum, qui dicebant actum peccati entitative esse bonum, et ex Deo, hic occasione contrariæ sententiæ explicandæ tractat quomodo actus peccati sit, vel non sit ex Deo. Et facit duo. Primo, sententiam istam proponit, et in quo contrarietur superiori, declarat. Secundo, determinat id in quo conveniunt, et quid tenendum sit de illa.

Circa primum, opinio aliquorum est peccati actum nullo modo esse a Deo, sed de ipso intelligi illud Joan. 1. *Sine ipso factum est nihil*, id est, peccatum, ut exponit Augustinus, non quia peccatum non sit actio prava, sed quia est separans, et elongans hominem a vero esse, quod est Deus, et talis actio nihil habet de bono, nec est a Deo, quia elongat ab ipso. Cum autem dicit Augustinus omne quod est, in quantum est, bonum est, et a Deo, loquitur de naturis, seu substantiis, non de actionibus, has enim ipse Augustinus videtur dividere contra substantias, seu naturas, unde dicit in libro 1. responsionum contra Pelagium: «Opera diaboli, quæ vitia sunt actus, sunt non res.» Et iterum. «Omne malum natura non est, sed actus accidens alicui